



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XCVII. Argumentum. Ostenditur quando fit obnoxius restitutioni, qui consulit circa furtum faciendum, vel dat suffragium pro lite injusta gerenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

etur enim hi omnes ad restitutionem damno-
rum. Eminentiss. Cardin. de Lugo d. disput. 19.
§. 4.

12 Verbum *Participans* includit eos, qui habent
partem rei injustè ablata, qui tenentur ad resti-
tutionem solius partis habitæ, quando non fue-
runt causa principalis illius damni; nam si
consulendo, invitando, excitando alios com-
participes ad damnum, fuerunt principalis cau-
sa, tenentur in solidum ad restitutionem to-
tius damni. Vasquez. de Restit. cap. 9. §. 1. Na-
varr. cap. 17. à num. 17. Sylvest. Verb. Restitutio 2.
quæst. 6. Angel. Verb. Furtum. §. 16. Diana part.
3. tract. 5. resol. 87. Quæ in opere Coordinato est
d. tom. 7. tract. 7. resol. 35. Rebellius de Oblig. Just.
part. 1. lib. 2. quæst. 14. sect. 2. num. 5. Molina de
Justit. & Jur. disput. 734. Et Eminentiss. Cardin.
de Lugo d. disput. 19. à num. 88. & seqq. ubi
disputant, an milites, qui in bello damna infe-
runt, teneantur in solidum ad restitutionem da-
mnorum, vel ad eam tantum portionem, quam
habuerunt; circa quod varii varia dicunt, sed
de rigore justitiæ videntur obligati in solidum,
ut docent DD. citati.

Verba *Mutis*, *Non obstant*, *Non manifestans* signi-
ficant eos, qui scientiam habentes damni infe-
rendi ab aliquo, non clamant, non admonent,
non defendunt, non impediunt damnum, ac
post illius illationem non revelant malefacto-
rem: in his enim omnibus casibus tenentur ad
restitutionem, dummodò tamen erant obligati
ex justitia, seu ex officio clamare, admonere,
impedire, revelare, ut Tutores, Curatores, Gu-
bernatores, Ministri publici, Custodes, Medici,
Chirurgi, Procuratores; secus si tantum ex cha-
ritate. S. Thom. 2. 2. quæst. 62. art. 7. Molina
disput. 375. Vasquez de Restit. d. cap. 9. §. 3. dub.
1. Bonacina de Restit. in gen. tom. 2. disput. 1.
quæst. 2. punct. 11. Cotonius in Summ. Dian. Verb.
Restituere num. 17. Eminentiss. Cardin. de Lugo
d. disput. 19. sect. 3. ubi num. 105. notat famulos
videntes alios conservos in domo facere furta
domestica, tacendo non teneri ad restitutionem,
nisi ipsi habeant custodiam illarum rerum, vel
nisi illis à domino detur clavis armarii, vel scri-
ni, quia pro tunc illis custodia ejus loci de-
mandatur.

DECISIO XCVII.

ARGUMENTUM.

Ostenditur, quando sit obnoxius restitutioni,
qui consulit circa furtum faciendum, vel dat
suffragium pro lite injusta gerenda.

SUMMARIUM.

1. Consiliarius quando sit obligatus ad restitutionem?
2. Furem qui facit magis securum in furando, tene-
tur restituere.
3. Propositio damnata, quod Coadjuvans in damno
non restituat.
4. Litrem injustam qui suo voto approbat, quando res-
tituat?
5. Suffragia dare vel secretè, vel publicè, differentia.

HIS ita enucleatis faciliè erit sequentes casus
resolvere. Primus casus est: Thomas nar-
rat amico, decrevisse sequenti nocte equum vicini furari.
Amicus ait, facilius esse, id mane agere, tempore Missæ,
quo omnes, etiam canes absunt. Thomas, vicino cum

familia sua Missam audiente, furatur equum. Quæritur
an amicus obligatus sit ad restitutionem?

PLures opinati sunt, Amicum non esse obli-
gatum ad restitutionem equi, eò quia ejus
consilium non videtur versari circa substanti-
am furti, ad quod Thomas patrandum erat
omnino dispositus, sed tantummodò circa cir-
cumstantiam temporis, videlicet, non ut nocte
furaretur, sed mane, tempore Missæ; consilium
autem, quod non influit in substantiam furti,
sed circumstantiam temporis, non obligat con-
sulentem ad restitutionem. Lessius de Justit. &
Jur. lib. 2. cap. 13. dub. 2. num. 4. 5. Coton. in
Summ. Diana Verb. Restituere, num. 13. Layman. lib.
3. tract. 2. cap. 5. num. 5. Tamburin. in Decal. lib.
8. tract. 4. cap. 1. §. 2. num. 6. & Eminentiss. Car-
din. de Lugo d. disput. 19. num. 9.

Porrò major, & sanior pars studentium te-
nuit, esse obligatum; siquidem consilium fu-
randi equum manè tempore Missæ, quo etiam
canes absunt, datum Thomæ furaturo tempore
noctis, fecit eundem animosiores, & securio-
rem ad furtum patrandum; nemo enim infi-
ciari potest, facilius esse furari de mane, quando
nullus est domi, neque canes; quàm de no-
cte, dum & canes latrant, & ad eorum latra-
tum homines insurgunt contra latrones. Cum
itaque consilium amici ostenderit viam facilio-
rem, & securiorem furandi equi, & ex eo con-
silio fur factus sit promptior, & alacrior in
damno inferendo, Amicus dicitur influxum de-
disse ipsi furto efficacem, & exindè obligatum
esse restitutioni, ut disputando docet idem E-
minentiss. Cardin. de Lugo d. disput. 19. num.
6. & 7. Bonacina de Rest. in gen. tom. 2. disput. 1.
quæst. 2. punct. 7. num. 4. Sotus lib. 4. de Justit. &
Jur. quæst. 7. art. 3. Azor. part. 3. lib. 4. cap. 11.
Elig. Bassæus tom. 1. Verb. Restitutio 3. §. 2. num. 3.
& tom. 2. Verb. Restitutio num. 19. atque F. Cassian.
& S. Elia in Centum Histor. Decis. 39. num. 6. & seqq.
ubi DD. & rationes cumulat, & num. 18. adver-
tit, contrarium asserentes incidere in illam pro-
positionem damnatam à S. D. N. Papa INNO-
CENTIO XI. quæ dicebat: Qui alium movet, aut
inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tene-
tur ad restitutionem illius damni illati. Est Propos.
39. Quare tenendum est, amicum nostri casus
teneri ad restitutionem.

Alter casus est: Ponitur Pars in Capitulo litrem in-
justam faciendi. Unus ex Capitulo videns majorem par-
tem velle litrem agere, nec voto suo impedire posse, ne
Pars illa capiatur, dat & ipse votum pro lite faciendâ.
Quæritur, an sit obnoxius restituere damna, & expensas
patienti hanc litrem?

Omnes transierunt sub hac distinctione. 4
Vel fuit de primis, qui suffragium tulerunt ad
favorem illius Partis injustæ, & ultra peccatum
mortale tenetur ad restitutionem, quia verè in-
fluit in damnum. Vel fuit de ultimis ponen-
tibus suffragium, & cum jam Pars capta esset, &
damnum ab aliis illatum, non tenetur ad resti-
tutionem, sed peccat mortaliter; quia quilibet
tenetur resistere injustitiæ, & iniquitatem im-
pugnare. cap. Quisquis, & cap. Nolite timere, 11.
quæst. 3. Samuel. de Canonic. Elect. tract. 3. con-
tr. 3. concl. 2. Cardin. Tolet. lib. 5. cap. 21.
num. 2. Bonacina tom. 2. de Restit. in gen. Disput.
1. quæst. 2. punct. 8. num. 6. & 7. Layman. lib. 3.
tract. 2. cap. 5. num. 6. Grass. part. 1. Decis. lib. 2.
cap.

cap. 127. num. 14. Diana part. 1. tract. 3. resol. 16. & 17. Quæ refident in Coordinato tom. 7. tract. 6. resol. 25. & 26. Et Eminentiss. Cardin. de Lugo d. *Disput.* 19. in tom. 1. de *Iustit.* & *Jur.* num. 17. & 18. ubi advertit, quod si suffragia essent revocabilia, scilicet quia darentur palam, & oretenus, iste ultimus in voto dando esset obnoxius restitutioni; & ratio est, quia si contradixisset, & impugnasset Partem litis injustæ propositam, potuisset retrahere alios à prava opinione, & à perseverantia in ipsa; cumque approbatio Partis illius pendeat à determinatione, quæ sit post audita omnium suffragantium vota, iste ultimus habetur tanquam primus, & ita remanet obnoxius cum aliis ad restitutionem. Tamburin. in *Decal.* lib. 1. cap. 3. §. 7. Verb. *Suffragium* num. 3.

D E C I S I O XCVIII.

A R G U M E N T U M.

Explicatur, Quid sit Humilitas Virtuosa? Quotuplex? Quot ejus gradus? An exerceri possit à personis sublimibus, & in dignitate constitutis? Quibus incentivis?

S U M M A R I U M.

1. Humilitas quid sit, & unde denominetur?
2. Quotuplex?
3. Humilitatis gradus quot reperiantur?
4. Potentes persona quomodo se exercent in humilitate?
5. Excelsiores qui sunt, hi periculosiores.

1. **D**ictum fuit. Humilitatem, (quæ denominatur ab humo; & quia homo, qui ex humo est, ad humum, id est ad ima deprimitur, despicens excellentiam ex consideratione suæ conditionis imperfectæ) esse virtutem, quæ refranat animam, ne immoderate in excelsa tendat. S. Thom. 2. 2. quæst. 161. Vel esse contemptum propriæ excellentiæ à recta ratione dictatum. Eminentiss. Cardin. de Lauræa tom. 2. de *Virt.* in gen. *disput.* 31. num. 108.

2. **D**uplex est Humilitatis Virtus. Una *Moralis* tantum, quam cognoverunt etiam Philosophi naturales, & gentiles, ut ex Aristot. 4. *Ethic.* 11. ex Platone lib. 4. de *legib.* & ex Seneca de *consol. ad Matrim.* Unde illud adagium *Noſce te ipsum.* Altera *Christiana*, quæ subdividitur in *Communem*, seu de *Præcepto*, quæ omnes Christianos decet pro æterna salute consequenda; *Pſalm.* 33. v. 19. *Humiles spiritu salvabit.* Et in *Evangelicam*, quæ tantum perfectorum, & de consilio dicitur, quam docuit Salvator, tum verbis, *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* *Matth.* 11. 29. tum exemplis, quia cum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit, formam servi accipiens. *Ad Philipp.* 2.

Gradus hujus præcellentis Evangelicæ Humilitatis varii assignantur. In regula S. Benedicti ponuntur duodecim, quos refert S. Thom. 2. 2. quæst. 161. art. 6. Tres gradus assignat Glossa ord. in cap. 3. *Matth.* videlicet. 1. Subdere se majori, & non præferre se se æquali. 2. Subdere se se æquali, nec præferre se minori. 3. Subesse minori. Quatuor gradus assignabat S. Philippus Neri. 1. Sperneremundum. 2. Spernerenullum. 3. Spernereseipsum. 4. Spernereseipsum, quibus dictus Sanctus Philippus addebat hæc verba: & hæc sunt dona *superi.* Tres docuit Alphons. Rodrig.

Exercit. Perfect. part. 2. tract. 3. nempè. 1. Cognoscere se ipsum dignum omni contemptu. 2. Procurare, & delectari se contemni. 3. Donata naturalia, & Spiritualia non à se, sed à Deo esse arbitrari. Porro octo gradus Humilitatis Christianæ, ac heroicæ demonstrat Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. *disput.* 31. num. 128. his verbis: Primus humilitatis actus est sui contemptus, quo quis se, & ea, quæ à se habet, nihili facit. 2. Est ille, quo reputat, se donis omnibus sive Dei sive hominum indignum. 3. Est, quo cupit, non haberi in pretio ab aliis, nec laudari, vel honorari, sed omnem laudem aliis, & Deo dandam. 4. Est, quo optat vilis haberi, ac contemni. 5. Dum ab aliis videt, se honorari, vel laudari, dolet, si ratione suæ personæ id fiat, secus si ratione officii, aut muneris, vel dignitatis, quam gerit. 6. Dum aliis se comparat, judicat se viliorum ob ea, quæ ex se habet. 7. Cum Deo se offert tanquam vile mancipium, eumque orat, ut de se faciat, quod sibi placet tam circa sanitatem, quam circa bona fortunæ. 8. In communione, atque conversatione cum aliis, quantum in se est, semper accipit, quod est vilius, & abjectius, ut in confessoribus locum inferiorem. in congressibus finistrum latus, in officiis vel nullum, vel ignobilis, vestes simpliciores, suppellectilem pauperem, &c. & similia; attempta tamen conditione dignitatis, & muneris debet decencia statui, sed tamen modica adhiberi. In contentionibus potius vult tacere, quam superare. In judiciis non curat peritus videri. Neque est loquax, neque ad respondendum valde promptus. In omni tandem opere, seu dicto demissus, & abjectus apparet. Hucusque Eminentia illa; cujus verba transcribere non piguit, quia mirifice deservunt personis Ecclesiasticis, quibus frequens occasio est in Congregationibus adesse, agere, & conversari.

Ceterum humilitas Christiana, Evangelica, & Heroica Virtus exerceri potest non solum à subditis, verum etiam à Superioribus, & sublimibus personis, Principibus, & Prælatibus, quatenus honores recipiunt debitos dignitati, & gradui, in quo à Deo sunt positi, sed in corde suo cognoscunt, se iisdem indignos, neque in eis delectantur, potissimum ex frequentibus incentivis. 1. Ex consideratione proprii figmenti; nam ut ait Job cap. 17. v. 14. *Putredini dixi: Pater meus es: mater mea, & soror mea vermis.* Et *Eccles.* cap. 10. v. 13. *Quid superbis terra, & cinis?* 2. Finis, quem omnes spectant, id est mortis horridæ. *Eccles.* 3. 19. *Unus est interitus hominis, & jumentorum.* 3. Incommodorum, & calamitarum conditionis humanæ. Job cap. 14. v. 1. *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore repletur multis miseriis, &c.* 4. Miseriarum ex parte animæ ob ignorantiam, & concupiscentiam. *Rom.* 7. *Videō aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* 5. Vanitatis totius gloriæ humanæ, quæ quod excelsior, eò periculosior: nam quis Lucifero inter rebelles Angelos infelicior? Quis inter Reges Salomone miserior? Quis inter Monachos Pelagio, & Origene, seu inter doctos Tertulliano, Donato, & Ario doctissimis vilior? Ideo, ut habetur 1. *Cor.* 10. 12. *Qui stat, videat ne cadat.* Hæc omnia ampliori stylo allegata fuere à Clero Nostro, & desumpta ex S. Thoma 2. 2. quæst. 161. & seqq. ex Alphons. Ro.